



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Oratio devota de recordatione paßionis Christi, 41

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT XLI.

*Oratio devota de recordatione passionis
Christi.*

1. **D**omine Iesu Christe, redemptio mea, misericordia mea, salus mea: te laudo, tibi gratias ago; quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes devotionis, quamvis macras à desiderata pinguedine dulcissimi tui affectus, tamen qualescunque gratias, non quales scio me debere, sed sicut potest conari, tibi persolvit anima mea. Spes cordis mei, virtus animæ meæ, compleat tua potentissima dignitas, quod conatur mea tepidissima imbecillitas, vita mea, tu finis intentionis meæ. Etsi nondum merui tantum, quantum debitor sum amare, utique saltem desidero te amare quantum debeo.

2. Illuminatio mea, tu vides conscientiam meam, quia, Domine, ante te est omne desiderium meum, & tu donas siquid benevult conscientia mea. Si bonum est, Domine, quod inspiras; imo, quia bonum est, ut te velim amare: da, quod me facis velle: da, ut quantum jubes, tantum te merear amare. Laudes & gratias offero, ne sit mihi donum tuum infructuosum, quod tua spontanea dedisti voluntate. Perfice quod incepisti, & dona quod me benigne præveniendo, immeritum desiderare fecisti. Convertete, benignissime, meum torporem in ferventissimum tui amorem. Ad hoc enim, clementissime, tendit hæc oratio mea, hæc memoria

ria & meditatio beneficiorum tuorum, ut tui accendas in me amorem.

3. Tua me, Domine, bonitas creavit; tua misericordia creatum ab originali peccato mundavit; tua patientia post illam emundationem Baptismi, in aliis peccatorum sordibus involutum hactenus toleravit, nutrit, & expectavit. Expectas tu, bone Domine correctionem, expectat anima mea ad poenitentium, ad bene vivendum tuæ gratiæ inspirationem. Deus meus, creator meus, tolerator & nutritor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, & concupisco, & sicut pupillus benignissimi patris orbatus præsentia, flens & ejulans incessanter, ejus dilectam faciem toto corde amplectitur: sic ego non quantum debeo, sed quantum queo, memor passionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor vulnorum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus, qualiter sepultus, simul memor tuæ gloriosæ resurrectionis, & admirabilis ascensionis, hæc indubitata fide teneo, exilii mei ærumnas desleo, spero tui adventus solam consolationem, ardentem desidero tui vultus gloriosam contemplationem.

4. Hei mihi! quia videre non potui Dominum Angelorum, humiliatum ad conversationem hominum, ut homines exaltaret ad conversationem Angelorum, cum Deus offensus moriebatur, ut peccator viveret. Heu, quod tam admirabili, tam inestimabili pietati præsens obstupescere non merui!

merui! Cur, ô anima mea, te præsertim non transfigit gladius doloris acutissimi, cum ferre non posses vulnerari lancea latus tui Salvatoris? cum videre nequies violari clavibus pedes, & manus tui plasmatoris? cum horrore effundi sanguinem tui Redemptoris?

5. Cur non es inebriata lachrymarum amaritudine, cum ille potaretur amaritudine fellis? Cur non es compassa castissima Virgini dignissima matri ejus, dignissima Domina tuæ? Domina mea misericordissima, quos fontes dicam erupisse de tuis pudicissimis oculis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & mactari? Quos fletus credam perfudisse piissimum tuum vultum, cum suspiceres eundem filium tuum, Deum & Dominum tuum in cruce sine culpa extendi, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari? Quibus singultibus, æstimabo purissimum pectus tuum vexatum esse, cum tu audires: Mulier, ecce filius tuus. Et discipulus: Ecce mater tua. Cum acciperes discipulum pro magistro, servum pro domino.

6. Vtinam cum felice Ioseph Dominum meum de cruce deposuissem, aromatibus condidissem, in sepulchro collocassem; ut saltem persecutus vel consecutus essem, ut tanto funeri non defuisset aliquid mei obsequii. Vtinam cum beatis mulieribus, corusca visione Angelorum essem territus, & audissem nuntium Dominicæ resurrectionis, nuntium meæ consolationis, nuntium tam expectatum, nuntium tam desideratum. Vtinam,

nam, inquam, audissem ex ore Angeli: Nolite timere vos: Iesum quaeritis crucifixum, surrexit, non est hic, Benignissime, suavissime, serenissime, quando restaurabis mihi, quia non vidi illam beatæ tuæ carnis incorruptionem; quia non fui deosculatus loca vulnerum, fixuram clavorum? quia non respersi lachrymis gaudii cicatrices corporis veri? Admirabilis, inæstimabilis, incomparabilis, quando consolaberis & compesces me à dolore meo? Non enim cadit à me dolor meus, quamdiu peregrinus sum à Domino meo.

7. Heu mihi Domine! heu animæ meæ! Recessisti consolator animæ meæ, nec vale dixisti. Ingrediens vias tuas benedixisti tuis, nec affui. Elevatis manibus à nube susceptus es in cælum, nec vidi. Angeli promiserunt te rediturum, nec audivi. Quid dicam? quid faciam? quo vadam? ubi eum quaeram? vel quando inveniam? quem rogabo? quis annuntiabit dilecto, quia amore langueo? Defecit gaudium cordis mei, versus est in luctum risus meus: defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum. Renuit consolari anima mea, nisi de te dulcedo mea. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Te volo, te spero, te quaero, tibi dixit cor meum: Quæsi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne avertas faciem tuam à me.

8. Amator hominum benignissime, tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

tor.

tor. Mi advocate tutissime miserere mei, orphani derelicti; pupillus factus sum absque patre, anima mea quasi vidua. Respice orbitatis & viduitatis meæ lachrymas, quas tibi offero donec redeas. Eia jam Domine, eia appare mihi, & consolatus ero. Exhibe præsentiam tuam, & consecutus ero desiderium meum. Revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

9. Quando venies, consolator meus? Quem expectabo? O si quando videbo gaudium meum, quod desidero! O si satiabor cum apparuerit gloria mea, quam esurio! O si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro! Si potabis me torrente voluptatis tuæ, quem sitio! Sint mihi, Domine, interim lachrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi: Ecce Deus tuus; donec audiat anima mea: Ecce sponsus tuus. Pascere interim me singultibus meis, refocilla me doloribus meis. Veniet fortasse redemptor meus, quia bonus est; nec tardabit, quia pius est. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Meditationum finis.

DIVI